

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XIIII.

*Clarissimo viro, D. Erasmo Roterodamo. S. P.*

**B**inas ad te literas dedi, Erasme clarissime, cum Cæsar elapso mense Octobris Palantiæ ageret, alteras Valdesio, alteras Martino Transylvano, his tibi significabam, quanto te amore & benevolentia prosequerer. Opinor, jam eas ad te pervenisse. Vidi nuper literas tuas ad Ludovicum Coronellum, Calendis Septembris scriptas, quæ illi redditæ sunt, quum hic casu apud me hospitem ageret, has ego multa cum voluptate & legi & relegi. Jam inde à principio nihil aliud sapiunt quam Erasmus, nec quicquam in eis est, quod non plane pium ac eruditum animum tuum referat, est tamen locus quidam in illis, qui meum animum movit. Qui libros, inquis, meos Hispanicè vertunt, an mei studio id faciant, nescio, cerrè magnam mihi constant invidiam. Ego hætenus nullum librum tuum Hispanicum factum vidi, præter unum Enchiridion militis Christiani, à me, ut omnes dicunt, non infeliciter versum. Istanto nominis tui studio ac plausu, atque adeo tanta Christianæ plebis utilitate prodiit, ut nihil hodie apud nos æquè atque ipse manibus omnium teratur. In Curia Cæsar, in Urbibus, in Ecclesiis, in Cœnobiis, quin in ipsis diverforiis & viis nemo ferè est, qui Erasmi Enchiridion Hispanicum non habeat. Legebatur antea latinus à paucis latinæ linguæ peritis, sed nec ab his omnino percipiebatur: legitur nunc Hispanicum ab omnibus sine discrimine: & quibus Erasmi nomen ante hac erat inauditum, hoc uno libello innotuit. Sed de his satis, nunc (quæ mea est in te benevolentia) monendum duxi, in libello illo tuo, cui titulus est: exomologesis, coronidem aliquam desiderari, quæ auriculari confessioni paulo impensius faveret, ut qui nunc bonis & doctis placet, hac adjecta & indoctis & iniquis satisfaceret. Vale literarum decus. Palantiæ. Quinto Calend. Decembr. 1527.

*Tui nominis studiosiss.*

Alfonfus Fernandus, Archidiaconus  
del Alcor.

## XIX.

*D. Erasmo Roterodamo Glareanus S. D.*

(Postquam quædam præmississet de domo, quam conjicere licet

Erasmus Eriburgi habuisse, subjicit.)

M m m m m 3

Hoc